

Christian Ohm    Matthäus Röseler

## **Disputatio Decima De Emptione Et Venditione**

Rostochi[i]: Pedanus, 1618

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730635759>**

Druck    Freier  Zugang



Verf. : A. Roseler  
Chr. Ohm.  
R. U. jur. 1618.







DISPUTATIO DECIMA  
DE  
EMPTIONE ET  
VENDITIONE

*Quam*

SUB AUSPICIIS SANCTÆ, ET INDIVIDUÆ  
TRINITATIS

*Consensu & autoritate, Amplissimi Fœtorum  
ordinis in celeberrima Rostochiensi Academia*

PRÆSIDE

CLARISSIMO ET CONSULTISSIMO VIRO,

DN. CHRISTIANO D. S. M.

J. U. D.

*Publicè defendendam proponit,*

MATTÆUS ROSELER  
Rostochiensis.

*Habebitur in collegio majori die*

*21. Jani.*



ROSTOCHI

*Excudebat Joachimus Pedanus,*

ANNO M. DC. XVIII.










Waru

THESIS I.



Contractibus, qui consensu constant, an-  
numeratur emptio & venditio, cujus ori-  
go à permutatione cepit, olim enim non  
ita erat nummus, neq; aliud merx, aliud  
pretium vocabatur, sed unusquisq; secun-  
dam necessitatem temporum ac rerum

utilibus inutilia permutabat. *l. 1. ff. de contra: emptio:*

II.

Emptio & venditio est conventio, qua idagitur, ut  
rei tradendæ dominium, in accipientem transeat dato  
certo pretio *Cujac. in π. hic.*

III.

Emerere & vendere possunt omnes, qui non prohiben-  
tur. Prohibetur autem tutor rem pupilli emere, nisi con-  
tutore auctore, vel palam & bona fide emerit. Idem  
porrigitur, ad curatores, procuratores, & qui negotia  
aliena gerunt. *l. si in emptione: 34. §. final: h. t. l. cum ipse §.  
C. b. t.*

IV.

Inter patrem quoq; & filium, contrahi emptio non  
poteft, sed de rebus castrensibus, vel adventitio peculio,  
pleno jure ad filium pertinente potest. *l. inter patrem. 2.  
in princip. π. b. t. l. ult. §. ipsum autem filium C. de bonis qua lib.*

V.

Qui officij causa in provincia agit, vel militat, præ-  
dia comparare in eadem provincia non potest, præter-  
quam si paterna ejus à fisco distrahantur *l. qui officij 62. l.  
non licet 46. ff. b. t.*

VI.

Omnium rerum quas quis habere, vel possidere, vel



persequi potest, venditio rectè fit. Quas vero natura vel gentium jus, vel mores civitatis, commercio exuerunt, earum nulla venditio est, *l. si in emptione 34. §. omnium ff. b. t.*

VII.

Hinc loca sacra vel religiosa, item publica, veluti forum basilicam, frustra quis sciens emit, quæ tamen si pro profanis, vel privatis deceptus à venditore quis emerit, habebit actionem ex empto, quod habere ei non liceat, ut consequatur, quod sua interest, eum deceptum non esse. *l. Sed Celsus 6. in princip. ff. b. t. §. ult. Inst. b. t.*

VIII.

Idem juris est, si hominem liberum pro servo emerit. Sed nec talis emptio admittenda est, cum servus erit, quamvis futura res emi possit. Nec enim fas est, ejusmodi casus expectare *d. §. ult. Inst. b. t. l. si in emptione 34. §. liberum 2. π. b. t.*

IX.

Rem alienam distrahere quem posse, nulla dubitatio est nam emptio & venditio est; sed res emptori auferri potest *l. rem alienam 28. ff. b. t.*

X.

Nominis venditio etiam ignorante, vel invito eo, adversus quem actiones mandantur, contrahi potest, *l. Nomina 17. ff. b. t. Nominis 3. C. de her. & act. vend. l. Nomina 17. ff. b. t.*

XI.

Rei suæ emptio tunc valet, cum ab initio agatur, ut possessionem emat, quam forte venditor habuit: & in judicio possessionis potior esset *l. Si in emptione 34. rei suæ ff. b. t.*

XII.

Rerum etiam universalium, ut hereditatis venditio contrahitur, Esse autem debet hereditas ut sit emptio, nec



nec enim alea emitur, ut in venatione & similibus, sed res  
quæ si non est, non contrahitur emptio & ideo pretium  
condicetur, *101. tit. ff. & Cod. de hered. vel act. vend. l. cum  
hereditatem. 7. ff. h. t.*

### XIII.

Hoc tamen modo admittitur esse venditio, si qua sit  
hereditas, est tibi emptæ, & quasi spes hereditatis, ipsum  
enim incertum rei veniat, ut in rebus *l. nam hoc modo  
ii. ff. h. t.*

### XIV.

Si hereditas venierit, venditor res hereditarias, tra-  
dere debet, quanta autem hereditas est, nihil interest, nisi  
de substantia ejus, venditor affirmaverit *l. qui filijfam. 14.  
§. 1. & l. seq. ff. h. t.*

### XV.

Venditor hereditatis satisficere de evictione non de-  
bet, cum id inter eumentem & vendentem agatur, ut neq;  
amplius, neq; minus juris habeat emptor, quam apud he-  
redem futurum esset. Plane de facto suo, satisficere cogen-  
dus est *l. Venditor. 2. in princip. ff. h. t. l. 1. C. de evictionibus.*

### XVI.

Pervenisse ad venditorem hereditatis, quomodo vi-  
deatur quæritur & Ulpianus putat, antequam quidem  
corpora rerum hereditariarum nactus venditor fuerit, ha-  
ctenus videri, ad eum pervenisse, quatenus mandare po-  
test, earum rerum persecutionem, actionesq; tribuere. E-  
nimvero ubi corpora nactus est, vel debita exegit, plenius  
ad eum videri pervenisse *l. Venditor 2. §. pervenisse. 3. ff. h. t.*

### XVII.

Emptor hereditatis, actionibus mandatis eo jure uti  
debet quo is, cujus persona fungitur, quamvis utiles etiam  
adversus debitores hereditarios, actiones, emptori tribui  
placuit, *l. emptor. 5. C. h. t.*



### XVIII.

Quamvis emptor ea lege emerit, ut creditoribus hereditarijs satisfaciat, excipere tamen actiones hereditarias invitus cogi non potest *l. ratio juris 2. C. b. t.*

### XIX.

Perficitur emptio & venditio consensu, & inter absentes contrahi potest, & per nuntium & per literas, tam purè, quam sub conditione vel in diem *l. 1. §. ult. l. hac venditio 7. ff. b. t. §. penult. Inst. b. t.*

### XX.

Sine pretio & re nulla venditio est; Non autem pretij numeratio, sed conventio, perficit sine scriptis habitam emptionem *l. inter patrem. 2. §. 1. ff. h. t.*

### XXI.

Sed & certum esse pretium debet. Hujusmodi tamen emptio, quanti tu rem emisti, quantum pretij in arca habeo, valet: Nec enim incertum est pretium tam evidenti emptione. Magis enim ignoratur, quanti emptus sit, quam in rei veritate incertum sit, *§. sed & certum 1. Inst. h. t. l. hac venditio 7. §. hujusmodi. 1. ff. b. t.*

### XXII.

Item pretium in numerata pecunia consistere debet. Nam in ceteris rebus, an pretium esse posset, valde quaerebatur. Sed prævaluit aliud esse permutationem rerum aliud emptionem & venditionem, alioqui non posse rem expediri, permutatis rebus, quæ videatur venisse & quæ pretij nomine data esse, nam utramq; videri & venisse, & pretij nomine datam esse rationem non pati *§. item pretium 2. Inst. h. t. l. 1. §. sed an sine 1. ff. b. t.*

### XXIII.

Emptio venditio licet perfecta sit, simul atq; de pretio convenerit, id tamen non obtinet in ea, quæ scriptura con-

con-



conficitur, hanc enim non aliter perfectam esse constitu-  
tum est, nisi & instrumenta emptionis fuerint conscripta,  
vel manu propria contrahentium, vel ab alio quidem scrip-  
pta, à contrahentibus autem subscripta: & si per tabellio-  
nem fiunt, nisi & completiones acceperint, & fuerint  
partibus absoluta, *princip. Inst. b. t. l. contractus 17. C. de fide  
Instrumentorum.*

#### XXIV.

In his quæ pondere, numero, mensura constant, modo  
ea servantur, quæ in ceteris: ut simul atq; de pretio  
convenerit videatur perfecta venditio, modo ut etiam si  
de pretio convenerit, non tamen aliter videatur perfecta  
venditio, quam si ad mensa, ad pensa, ad numerata sint.  
*l. quod sepe 35. §. in his 5. ff. b. t.*

#### XXV.

Venditorem ipsam rem præstare oportet, id est tra-  
dere quæ res siquidem dominus fuit venditor facit & em-  
torem dominum si non fuit, tantum evictionis nomine  
venditorem obligat: si modo pretium est numeratum,  
aut eo nomine satisfactum. Emptor autem nummos  
venditoris facere cogitur, *l. ex empto 11. §. & in primis 2. ff. de  
actio. empti.*

#### XXVI.

Cum autem emptio & venditio contracta sit, pericu-  
lum rei venditæ statim ad emptorem pertinet, tamen si ea  
res, emptori adhuc tradita non sit *§. qui autem 3. Inst. b. t.*

#### XXVII.

Itaq; si homo mortuus sit, vel aliqua parte corporis  
læsus fuerit, vel ædes totæ, vel aliqua ex parte incendio  
consumptæ fuerint, aut fundus vi fluminis totus vel ali-  
qua ex parte, ablatu sit, sive etiam inundatione aquæ,  
aut arboribus turbine dejectis, longe minor aut deterior  
esse



esse ceperit, emptoris damnum est, cui necesse est, licet rem non fuerit nactus, pretium solvere *d. §. cum pretium*  
*Vers. itaq.*

### XXVIII.

Quicquid enim sine dolo & culpa venditoris accidit, in eo venditor securus est. Sed etsi post emptionem, fundo aliquid per alluvionem accesserit, ad emptoris commodum pertinet. Nam & commodum esse debet ejus, cujus periculum est, *d. §. cum pretium §. quicquid.*

### XXIX.

Quod si fugerit homo qui venit, aut surreptus fuerit, ita ut neq; dolus, neq; culpa venditoris intervenerit, animadvertendum erit, an custodiam ejus, usq; ad traditionem venditor susceperit. Sane enim si susceperit, ad ipsius periculum is casus pertinet, si non susceperit securus est. Idem & in ceteris animalibus, ceterisq; rebus intelligimus, *d. §. cum pretium 3. vers. quod si fugerit.*

### XXX.

Utiq; tamen vindicationem rei, & conditionem exhibere debet emptori, quia sane qui nondum rem emptori tradidit, adhuc ipse dominus est, *d. §. cum pretium*  
*Vers. utiq.*

### XXXI.

Quod si sub conditione venierit, siquidem defecerit conditio, nulla est emptio. Quod si extiterit Proculus & Octavenus emptoris esse periculum ajunt. Idem Pomponius libro nono probat. Ante impletam conditionem si res extincta fuerit, periculum ad venditorem spectat. Sane si extat res, licet deterior effecta, potest dici, esse damnum emptoris *l. Necessario 8. ff. de periculo & commo rei vendita.*

### XXXII.

Si in Venditione conditionali, hoc ipsam convenisset,  
ut



ut res periculo emptoris servaretur, putat Ulpianus pactum valere, *l. si in venditione 10. ff. de pericu: & com: rei vend:*

XXXIII.

Si emptio ita facta fuerit, est mihi emptus Stichus, aut Pamphilus, in potestate est venditoris, quem velit dare. Sed uno mortuo, qui superest dandus est. Et ideo prioris periculum, ad venditorem, posterioris ad emptorem respicit. Sed et si pariter decesserunt, pretium debetur. Unus enim utiq; periculo emptoris vixit *l. si in emptione 34. §. si emptio 6. ff. h. e.*

XXXIV.

Vino per averfionem vendito, finis custodiae est averfendi tempus, quod ita erit accipiendum, si adjectum tempus est. Ceterum si non sit adjectum, videndum ne infinitam custodiam non debeat venditor. Et est verius, aut interesse quid de tempore actum sit, aut denunciare ei ut tollat vinum. Certe antequam, ad vindemiam dolia fuerint necessaria, debet averfi vinum. *l. si quis vina. 4. §. ult. de peri. & com. rei vendi.*

XXXV.

Illud sciendum est, cum moram emptor adhibere cepit, jam non culpam, sed dolum malum tantum praestandum à venditore, *l. sciendum 17. ff. de pers. & com. rei vend.*

XXXVI.

Quod si per venditorem & emptorem mora fuerit, Labeo quidem scribit, emptori potius nocere, quam venditori moram adhibitam. Sed videndum est ne posterior mora damnosa ei sit: quid enim si interpellavero venditorem, & non dederit quod emeram, deinde posteriore

B

offe-



offerente, illo ego non acceperim? Sane hoc casu mihi nocere debet. *d. l. sciendum vers. quod si ff. de peri. & cora. rei vend.*

### XXXVII.

Sed si per emptorem mora fuisset, deinde cum omnia in integro essent venditor moram adhibuerit, cum possit se extolueret æquum est, posteriorem moram venditori nocere. *d. l. sciendum in fine de periculo & comm. rei ven.*

### XXXVIII.

Ad Pacta quæ huic contractui addi solent, refertur arræ datio, quam dat plerumq; emptor venditori, ut sit argumentum emptionis & venditionis contractæ. Et is qui recusat ad implere contractum, si quidem est emptor perdit quod dedit, si vero venditor duplum restituere compellitur licet super arris nihil expressum est *principi. Inst. b. t. l. Contractus C. de fide instrumentorum.*

### XXXIX.

Præterea usitatum est in hoc contractu, pactum in diem additionis, quo res penes emptorem collocatur, hac lege, nisi quis intra diem certum supra adjecerit *l. i. ff. de in diem addictio: Cujac. in π. ibid.*

### XL.

Melior conditio adferri videtur, si pretio sit additum. Sed etsi nihil pretio addatur, solutio tamen afferatur fatior pretij, vel maturior melior conditio adferri videtur & deniq; quicquid ad utilitatem venditoris pertinet, pro meliori conditione haberi debet. *l. ubi autem 4. §. final. & l. seq. ff. b. t.*

### XLI.

Necesse autem habebit venditor, meliore conditione alla-



allatā, priorem emptorem certiozem facere: ut si quis alius  
adhicit, ipse quoq; adhicere possit. *l. Neesse. 8. ff. b. t.*

#### XLII.

Quoties fundus in diem addicitur, utrum pura emptio  
est, sed sub conditione resolvitur, an vero conditionalis  
sit magis emptio quæstionis est: & Ulpiano videtur ve-  
rius, interesse quid actum sit. Nam siquidem hoc actum  
est, ut meliore allata conditione discedatur: erit pura em-  
ptio, quæ sub conditione resolvitur, sin autem hoc actum  
est ut perficiatur emptio nisi melior conditio offeratur;  
erit emptio conditionalis *l. quoties 2. in princip. ff. h. t.*

#### XLIII.

Lex commissoria est alia pactio emptionis & vendi-  
tionis, qua id agitur, ut si in diem statutum emptor pre-  
tium non soluerit & venditor rem venisse nolit, res nec  
vendita nec alienata sit *l. cum vend. 2. ff. de lege commissoria*  
*Cujac, in π. ibid:*

#### XLIV.

Legem commissoriam, quæ in venditionibus adhicitur,  
si volet venditor exercebit, non autem invitus *l. nam legem*  
*3. ff. b. t.*

#### XLV.

Eleganter Pomponius libro 3. responforum scribit: sta-  
tim atq; commissa lex est, statuere venditorem debere  
utrum commissoriam velit exercere, an potius precium  
petere. Nec posse si commissoriam elegerit postea variare  
*l. si fundus 4. §. eleganter ff. b. t.*

#### XLVI.

In emptionibus & venditionibus, consensum debere



intercedere palam est. Ceterum siue in ipsa emptione  
dissentient, siue in pretio, siue in quo alio, emptio imper-  
fecta est. Si igitur ego me fundum emere putarem,  
Cornelianum, tu mihi te vendere Sempronianum puta-  
sti, quia in corpore dissensimus emptio nulla est, *l. in ven-  
ditionibus 9. in prin. ff. de contra emptio.*

#### XLVII.

Si in nomine dissentiamus, verum de corpore con-  
stet, nulla dubitatio est, quin valeat emptio venditio.  
Nihil enim facit error nominis, cum de corpore constat.  
*d. l. in venditionibus 9. ff. de contra. emptio.*

#### XLVIII.

Inde quaeritur, si in ipso corpore non erratur, sed in  
substantia error sit, utpote si acetum pro vino veneat, æs  
pro auro, vel plumbum pro argento, vel quid aliud, ar-  
gento simile, an emptio venditio. Marcellus scripsit,  
libro sexto digestorum emptionem esse & venditionem,  
quia in corpus consensum est, etsi in materia sit erratum  
Ulpianus in vino quidem consentit, quia eadem prope  
substantia est, si modo vinum acuit. Ceterum si vinum  
non acuit, sed ad initio acetum fuit, ut embamma; intin-  
ctus, aliud pro alio venisse videtur. In ceteris autem  
nullam esse venditionem putat, quoties in materia erratur  
*d. l. venditionibus 9. §. final. ff. de contrahenda emptione.*

#### XLIX.

Quod si ego me virginem emere putarem, cum esset  
jam mulier, emptio valebit: in sexu enim, non est erra-  
tum. Ceterum si ego mulierem venderem, tu puerum  
eme-



emere existimasti, quia in sexu error, nulla emptio nulla  
venditio est, *l. alioquin §. quod si ff. de contra emp.*

L.

Quamvis cum in corpore consentiamus, de quali-  
tate autem dissentiamus emptio sit: tamen venditor te-  
neri debet quanti interest non esse deceptum, *l. sterilis 21.*  
*§. quamvis. 2. ff. de actio. empti.*

L I.

Si in emptione fundi dictum sit, accedere Stichum  
servum, neq; intelligatur, quis ex pluribus accesserit, cum  
de alio emptor de alio venditor senserit, nihilominus  
fundi venditionem valere constat. Sed Labeo ait, Sti-  
chum deberi, quem venditor intellexerit, *l. si in emptione*  
*34. ff. de contrach. emptio.*

L II.

Ex hoc contractu duæ oriuntur actiones, Empti &  
Venditi Illa is qui emit utitur, & in ea deducitur, quod  
præstari convenit, quod si nihil convenit, tunc ea præ-  
stabitur quæ naturaliter insunt hujus judicij potestate  
*l. ex empto 11. in prin. §. 1. ff. de actio. emp.*

L III.

Si fructibus jam maturis ager distractus sit, etiam fru-  
ctus emptori cedere, nisi aliud convenerit, jam explora-  
tum est *l. Julianus 13. §. si fructibus 10. ff. de actio. emp.*

L IV.

Offerri pretium ab emptore debet, cum ex empto  
agitur, & ideo etsi pretij partem offerat, nondum est ex  
empto



empto actio. Venditor enim quasi pignus retinere  
potest eam rem, quam vendidit, *l. Julianus 13. §. offerri 8.  
ff. de actio. empt.*

L V.

Ex vendito actio competit venditori, ad ea conse-  
quenda, quæ ei ab emptore præstari oportet *d. Julianus  
13. §. ex vendito 19. ff. de actio. emp.*

L VI.


Veniunt autem in hoc iudicium infra scripta, in pri-  
mis pretium quanti res venit: item usuræ pretij, post  
diem traditionis. Nam cum re emptor fruatur, æquisi-  
mum est, eum usuras pretij pendere *d. l. Julianus. 13. §.  
veniunt ff. de actio. emp.*

L VIII.

Item si convenerit, cum res veniret, ut locuples ab  
emptore reus detur, ex vendito agi potest, ut id fiat. *d. l.  
Julianus 13. §. utrum si 23. ff. de actio. emp.*

L IX.

Si is qui lapides, ex fundo emerit, tollere eos nolit,  
ex vendito cum eo agi potest, ut eos tollat *l. si is qui 19. ff.  
de actio. empt.*



Corol.



# Corollaria.

## I.

*Filius familias de bonis adventitijs, quorum usus fructus, ad patrem non pertinet, testari nequit.*

## II.

*Idem de damnatis, ad mortem statuendum est, qui necdum hodie testantur.*

## III.

*Bonafidei possessor, fructus industriales perceptos & consumptos facit suos, neq. ad eorum restitutionem ullo modo tenetur, extantes vero restituere cogitur.*

## IV.

*Naturales autem fructus, sive à bonafidei possessore consumpti sunt, sive non, restitutioni obnoxij manent.*

Ma-



Malafidei possessor, omnes indistinctè, tam  
perceptos, quàm percipiendos, restituere com-  
pellitur.











Malefidei possessor, omnes indistinctè, tan-  
perceptos, quàm percipiendos, restituere com-  
pellitur.
















the scale towards document

i, quia in sexu error, nulla emptio nulla  
loquin §. quod si ff. de contra emp.

L.

um in corpore consentiamus, de quali-  
tiamus emptio sit: tamen venditor te-  
i interest non esse deceptum, l. sterilis 21,  
de actio. empti.

L.I.

one fundi dictum sit, accedere Stichum  
elligatur, quis ex pluribus accesserit, cum  
de alio venditor senserit, nihilominus  
em valere constat. Sed Labeo ait, Sti-  
em venditor in tellexerit, l. si in emptione  
emptio.

L.II.

tractu duæ oriuntur actiones, Empti &  
ui emit utitur, & in ea deducitur, quod  
it, quod si nihil convenit, tunc ea præ-  
aturaliter insunt hujus judicij potestate  
in. §. 1. ff. de actio. emp.

L.III.

am maturis ager distractus sit, etiam fru-  
ere, nisi aliud convenerit, jam explora-  
13. §. si fructibus 10. ff. de actio. emp.

L.IV.

am ab emptore debet, cum ex empto  
si pretij partem offerat, nondum est ex  
empto

B 3